OPUSCOLI

RACCOLTI DALL' ABATE

DOMENICO CAPRETTA

DI

CENEDA

Volume 44


EPISTOLA

PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

CIVITATIS ET DIOECESIS CARPENSIS



ROMAE 1840

EXCUDEBAT ALEXANDER MONALDI

PETRUS RAFFAELLI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

SANCTAE CARPENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS

SANCTISSIMI D. N. PAPÆ GREGORII XVI.

PRAELATUS DOMESTICUS

EIUSQUE SOLIO PONTIFICIO ADSISTENS

VENERABILIBUS FRATRIBUS AC DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS
ORDINI CANONICORUM ANIMARUM CURATORIBUS
UTRIQUE CLERO POPULOQUE UNIVERSO
DIOECESIS SUAE

PACEM ET SALUTEM A DOMINO SEMPITERNAM.

Ex hac Urbe tot Sanctorum Martyrum venerando sanguine purpurata, ad quam Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI. votis annuens Celsissimi Ducis Nostri Francisci IV. me ad vestram Episcopalem Sedem evehendum summa benignitate vocaverat; ex hac Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra, ad quam ceterae quotquot sunt terrarum Orbis Ecclesiae *propter suam principalitatem convenire debent*; ex hoc catholicae Unitatis centro, in quo Principis Apostolorum Petri Sedes nunquam interitura, constituta est, mox discessurus, ut ad vos veniam, Venerabiles Fratres, et Filii in Christo carissimi, hasce epistolas praemittere, et per eas vos salutare, animique mei sensa vobis patefacere statui. Apostolica missione accepta, divinaque dispositione Dioeceseos vestrae Episcopus consecratus, jam vos omnes, ceu pater amantissimus, in Christo Domino amplector, et de spirituali vestra salute

unice sollicitus, ad eam promovendam jam omnes cogitationes mentis, jam omnia cordis mei desideria diriguntur. Neque amplius conscientia exiguitatis et infirmitatis virium mearum a suscipiendo onere, ipsis angelicis humeris formidando, me tantopere deterret, quemadmodum terrebat cum primum compertum habui, me in vestrum Episcopum designari. Consilium et incitamentum prorsus unanime virorum doctrina et pietate praestantissimorum, quos consulere curavi; inclitae Mutinensis Civitatis, in qua jamdiu degebam, quaeque cum omni in ea mansionis meae tempore, tum hac potissimum occasione innumeris suae benevolentiae et humanitatis testimoniis me cumulavit, singularis de electione mea plausus; illa quam vos, Venerabiles Fratres ac Filii carissimi, universi prodidistis, animi laetitia ac veluti exultatio, cum me ad vestram Ecclesiam suo viduatam Pastore vocatum audistis; et super haec, vox Principis sapientissimi, et bono non temporali solum, sed etiam spirituali subditorum suorum quammaxime prospicientis, quae me designabat; et auctoritas veneranda Summi Pontificis Christi in terris Vicarii, quae me vestrum Episcopum eligebat; haec, inquam, omnia, utpote Voluntatis Divinae, cujus manifestationem enixis ad Deum precibus interim exposcebam, haud levia indicia, et anxietatem cordis paullisper sedarunt, et timorem non parum compescuerunt, et animum insuper addiderunt, confirmaruntque. Etenim si infirmae vires, quod quidem heu nimis sentio, ipsum, qui infirma et ignobilia mundi eligit, ut fortia quaeque confundat; qui linguas infantium facit esse disertas; ex quo est omnis sufficientia nostra, et a quo omne donum perfectum, consilium omne descendit, ipsum virtutem et fortitudinem, ipsum sedium suarum assistricem Sapientiam, quae mecum sit, mecumque

laboret, mihi daturum confido. Et licet episcopalia munia omnino gravissima, laborisque ac molestiarum plena cognoscam, hisce praesertim temporibus cum magna impiorum hominum multitudo Fidem ac Pietatem Filiorum Dei undique impetat, cum librorum turpissimorum colluvies, non sine horrenda Animarum pernicie, regiones jam omnes invadat; cum ipsa ratio vivendi, consuetudines ipsae sensim in societatem sub fucata specie majoris commodi, aut honestioris conversandi modi, invectae, christianorum mores heu nimis! corruperint; non tamen me labores, non angustiae, non difficultates ullae me terrent. *Dummodo consumem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu*; dummodo spirituali bono, vestraeque saluti aeternae prospiciam; non faciam animam meam praetiosorem quam me, et, ad boni pastoris exemplum, ipsam pro meis ovibus divina misericordia adjutus, libentissime ponam.

Itaque alacri promptoque animo ad vos veniam, Venerabiles Fratres, et Filii charissimi; minime enim dubito quin vos Pastoris vocem omni cum docilitate accepturi, et quae ab ipso ad salutem vobis injungentur ultro ac libenter praestituri sitis. Non is ego sum qui onera gravia et importabilia vobis imponere velim, quique salutis viam difficultatibus, anxietatibusque perarduam, atque tristitiae et terroris plenam vobis reddere studeam. Ab eo edoctus qui dives est in misericordia, et cujus natura bonitas; qui de se ait *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*: *venite ad me omnes qui laboratis et oneratis estis*, *et ego reficiam vos*, *et invenietis requiem animabus vestris*; *jugum enim meum suave est*, *et onus meum leve*, in id potissimum incumbam, ut vos vere persuasos certosque reddam nihil suavius atque jucundius, quam Deo sincero

corde servire; id non ad aeternam solum, sed ad temporalem quoque vitae jucunditatem conducere; in eo omnem et privatam familiae et publicam sitam esse civitatum felicitatem; ab eo vel ipsam fortunam negotiorum pendere; et adhuc etiam honestarum oblectationum et gaudiorum suavitatem ab eo produci: quemadmodum e contrario non esse pacem, neque hinc veram prosperitatem impiis, tum divina Revelatio, tum Historia universa, tum experientia quotidiana declarat.

Quoniam autem ad tantam dulcedinem ac suavitatem verae Christi Doctrinae degustandam ne perveniant Fideles, nulla est difficultas, nulla seductio, impedimentum nullum, quod in medium non proferat inimicus ille, qui in agro Evangelico superseminare studet zizania, quae triticum suffocent et corrumpant; ideo hic statim monere vos non praetermittam, atque iterum iterumque hortari, ut ab iis qui sub ovina pelle, intrinsecus vero sunt lupi rapaces, veniunt ad vos, ut captiosis sermonidus vos seducant, mactent, et perdant, maxime caveatis; ut a nefaria ac mortifera peste librorum impiorum prorsus abhorreatis; ut ab iis omnibus, quae Religionem ejusque Ministros aliquo modo impetunt, bonos mores deturpant, inter domesticos pacem et concordiam scindunt, inter cives contentiones et dissidia pariunt, aut leges labefactant, aut Magistratus parvifaciunt, aut criminantur Dominationem et Potestatem a Deo statutam, abstineatis omnino.

Verum dum haec commemoro, ac vobis viam ostendo tutissimam simul et verae jucundam, per quam ad aeternam beatitatem vos ducere, divino innixus auxilio, totis viribus studebo, atque impedimenta praecipua, quae vestro profectui, meisque sollicitudinibus officere possunt, patefacio: oh quanta Episcopalium munerum moles, gravitas, et difficultas oculos

percellit meos, et me quodammodo opprimit! Attamen, ut ad vos sermonem convertam, quotquot in mea spirituali Ditione Sacerdotio fungimini, Venerabiles in Christo Fratres, ita vos in laboribus curisque meis adjutores futuros spero, ut in quacumque etiam magis dissita Dioeceseos parte per vos oves omnes vocem Pastoris audiant, et quae debiles sunt vestra virtute fulciantur, quae infirmae salutari curentur medicina, quae errantes revocentur ad ovile, neque ullam sollicitudines vestrae praetereant, neque ulla pereat. Unusquisque enim vestrum juxta mensuram gratiae, quam accepit, eam administrare tenetur; unusquisque in mysticae vineae cultum pro viribus incumbere debet.

Hinc primum vos affabor speciatim, Amplissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici. Plurimum vos et consilio, et opere mihi adfuturos confido, quippe qui cum ceteros in Ecclesia Ministros tum dignitate tum doctrina antecellatis, et prima veluti luminaria Dioeceseos jure habeamini, sacrum Episcopi Senatum ab Ecclesia constitutum efficitis. Itaque et sermonibus vestris sapientia et pietatis unctione conditis, et conversatione, habitu, incessu vestro, praestantiam ac sublimitatem Dignitatis vestrae praeferentes, reliquis Ecclesiae Ministris optimum aemulationis exemplum, ac Fidelibus omnibus aedificationem praebete; atque *ii qui ex adverso sunt vereantur nihil habentes malum, dicere de vobis.* Psalmis vero, hymnis ac canticis spiritualibus ita immolate Deo sacrificium laudis in Templo, et sic decorem Domus Dei diligite, ut benedictio divina per orationes, et sacrificia a vobis oblata, super vosmetipsos, et universum populum copiosa descendat; discantque etiam rudes quanta cum reverentia et tremore in Ecclesia se habere, Sacrisque interesse debeant.

Vos deinde alloquor, Animarum Curatores, qui suppetias, ac strenuam operam in Dioecesi administranda mihi praebetis. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie* (I. Petr. 1. 5.) A vestris potissimum curis Animarum vobis commissarum aeterna salus, nec non temporalis quoque felicitas paraeciarum vestrarum quodammodo pendet. Si namque *spiritu ambulatis, cujus Spiritus fructus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, castitas* (ad Gal. V. 22.); si sedulo in puerorum christianam institutionem incumbitis, ut jam a tenera aetate Deum agnoscere, revereri, et amare, parentes honorare, pietatem sectari discant; si juvenes per vestras hortationes et monita a vobis in virtute fulciantur, ut sobrii sint, passiones compescant, otium fugiant et vitia; si Matresfamilias per vos in pietate dirigantur, ut *prudentiam doceant adolescentulas, viros suos ament, filios suos diligant, et prudentes, castae, sobriae, domus curam habentes, benignae, subditae viris suis sint, ut non blasphemetur verbum Dei*; si senes demum, juxta eamdem Apostoli doctrinam, *sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide in dilectione in patientia*, oh ter quaterque beatae a vobis administratae Paraeciae, quibus pax, tranquillitas, veraque hujus quoque vitae jucunditas in timore et benedictione Domini, erit velut certum sempiternae felicitatis argumentum! Oh ter quaterque beati vos, quos corona immarcescibilis in coelis manebit, quorum memoria in benedictione erit in terris!

Sacerdotes reliqui, Levitae, et quotquot Dominum elegistis tamquam partem haereditatis vestrae, mementote vocationis qua vocati estis; considerate ministerium, ad quod estis assumpti; dignitatem qua insigniti estis prae oculis semper

habete. Ad sanctificationem tum vestram tum populi a Deo estis vocati; vestrum Ministerium sanctum; dignitas vestra sublimis, plane caelestis, Angelica. *Nemo igitur militans Deo implicet se negotiis saecularibus*; unusquisque gratia, quam accepit, utatur in sanctificationem Corporis Christi; sancta sit illius conversatio; angelici mores, vita immaculata, coelestis.

Quae quidem et vos probe intelligere, ac sedulo mente revolvere debetis, Adolescentes Clerici, qui *tamquam novellae plantationes in circuitu Tabernaculi Domini*, studio ac pietati in Seminario nostro operam datis. Etenim cum tanta sit Sacerdotalis dignitas ad quam contenditis, nulla vobis cura omittenda est, ut ea animum scientia, iisque virtutibus ornetis, quibus, sicut candelabra lucentia, in Domo Dei lucere possitis. Itaque *doctrinis variis et peregrinis nolite abduci*. Scientia qua vos splendere quammaxime oportet non ea sit quae inflat; ea sit cujus initium est timor Domini; ea sit quae in humilitate fundamentum habet; ea sit cujus objectum est veritas, nempe Christus Dominus; ea demum sit scientia Sanctorum, quae scilicet verae Sanctitatis fructus in vobis et in aliis producere queat.

Seraphici Patriarchae Venerabiles Alumni, quorum in Carpensi Dioecesi non sine magna cordis mei exultatione duos Conventus conspicio, quibus vos alloquar verbis? Annales incliti vestri Ordinis inspiciens, tot sanctissimos viros qui in eo floruerunt admiratione ac veneratione prosecutus, et auxilium utilitatemque maximam, quam Christi Ecclesiae tum Verbi divini praedicatione, tum operibus Apostolicae charitatis, tum praestantissimarum splendore virtutum, tum ferventissimis ad Deum precibus Familiae vestrae attulerunt considerans, macti virtute estote, dicam vobis; sequimini exempla praeclara Patrum vestrorum; in tanta temporum perversitate, in tanta

Ecclesiae necessitate adeste excubiis, adeste praesidio; et quo magis inimicus nititur Gregem Christi mactare et perdere; quo magis ferus Aper de Silva Vineam Domini eradicare conatur, eo vos alacriori zelo ad gregis defensionem accurrite; eo impensius in mysticae vineae cultum insudate; eo fortius hostilia arma retundite; atque potioribus doctrinae, et orationis Urbem Sanctam Sion circumvallate praesidiis.

Sed hoc Orationis praesidium quo maxime Fides nutritur, ac roboratur, et cujus virtute de omnibus inimicis suis Ecclesia triumphat, a vobis potiori quadam ratione exposcimus ac expectamus, Sacrae Virgines, in Monasteriis sive Carpensi, sive Mirandulano dicatae Deo. Vos quae optimam partem elegistis quae nunquam auferetur a vobis, dum Mundi vanitatibus et pompis relictis, in solitudinem convolastis ut inveniretis electum ex millibus, et vocem ejus audiretis qui pascitur inter lilia, vos profecto speciali benignitate caelestis Sponsus auscultat, et vestras deprecationes, vestrosque gemitus excipere et exaudire quammaxime delectatur. Oh! igitur instate precibus apud Eum; et dum in spiritu humilitatis, castitatis, patientiae, perfectaeque ad invicem dilectionis, incensum suavissimum laudum ac orationum illi offertis, et super vos, et super Ecclesiam, fidelesque universos ut copiosa illius misericordia descendat adprecamini. Vos vero quae Mirandulae Puellarum institutioni insuper operam datis, in id speciatim incumbentes ut vestra institutio earum conditioni, et hodiernae societatis necessitati apprime respondeat, tam de societate ipsa ac de Religione benemerentes evaditis, ut familiarum, atque civitatum grati animi sensa jure vobis duplici hac ratione debeantur.

Optimates, quique omnes vel divitiarum copia, vel publicorum officiorum honore, et auctoritate praestatis, etiam ad

vos ultro ac lubenter aliqua verba dirigere gestio. Plurimum et a vobis adjumenti, et consolationis in Pastoralis officii curis obeundis haud frustra expecto. Vos qui integerrimam profundissimamque Celsissimi Principis Francisci IV. quem juxta cor suum misericors Dominus nobis dedit pietatem prae oculis habetis; qui illius in promovendo Catholicae Religionis bono, quod totius vel temporalis felicitatis unicum firmissimumque fundamentum est, studium jugiter intuemini; qui ex sapientissimis illius Mandatis et Legibus, ex Providentiis quibus incredibili alacritate et plane admiranda benignitate ad omnes subditorum suorum necessitates accurrit, quamluculenter perspicitis quanta sit in eo vera Christiana virtus et charitas, quantus aequitatis et justitiae amor, quanta in omnibus optimi Principis muniis obeundis sollicitudo; Vos, inquam, perillustria Illius exempla emulari studete. Eapropter, Divites, extendite faciles manus vestras ad pauperes; facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; et thesaurizate vobis thesauros non deficientes in caelo. Magistratus, *justum judicium judicate*; *omnia honeste et secundum ordinem facite*. Omnes demum qui aliis praestatis, aliis et exemplo virtutum, et merito bonorum operum et legum tum divinarum, tum humanarum observantia praeite.

Tandem universi et singuli, qui Pastorali curae ac sollicitudini meae concrediti estis, Filii in Christo carissimi, cujuscumque generis, gradus, sexus, aetatis, en verba vobis Patris amantissimi. Et primum quidem obsecror et obtestor vos per viscera Misericordiae Dei Nostri, ut *sitis fortes in fide*, *et per fidem ambuletis et non per speciem*; *etenim sine fide impossibile est placere Deo*. Quoniam vero *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa*, ideo satagite ut per bona opera cer-

tam vestram vocationem, et electionem faciatis. Diligite pariter Deum *de corde puro*, *et conscientia bona*, *et fide non ficta*: etenim *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, et qui Deum diligit ab eo diligetur. Mementote autem quod qui Deum diligit, sermonem ipsius servat, neque Deum diligit qui per peccata eum offendit. Praeterea *hoc mandatum habemus a Deo ut qui Deum diligit, diligat et Proximum suum.* Hinc ambulate in dilectione, et diligite vos invicem sicut Christus dilexit vos. Proinde Parentes diligite filios vestros, eosque in disciplina et timore Domini jam ab infantia educate, verbo et exemplo in viam salutis dirigite, ab otio, a vitiis, ab illecebris mundi attente defendite, et praesertim vigilate ne a prava iniquorum conversatione corrumpantur. Filii diligite et honorate parentes, si longaevos esse et beatos etiam super terram cupitis; et cavete ne ullam unquam caussam doloris, et tristitiae eis praebeatis; quia tristitia matris, et dolor patris maledictionem divinam in filios provocat. Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, vosque Uxores diligite vestros viros, et subditae estote illis, atque mutua haec vestra in Christo dilectio leve ac jucundum vel ipsum Matrimonii jugum vobis efficiet. Diligite Domini servos, vosque servi diligite et obedite dominis vestris; et sic nec amaritudo aut ira, nec indignatio aut clamor, nec contentiones aut dissidia erunt in vobis. Subditi cujuscumque ordinis et gradus, cujuscumque aetatis, et sexus, voluntariam obedientiam, submissionem, fidelitatem, retribuite amantissimo Principi, qui vestro bono, et prosperitati indesinenter, quam sollicite, omnimode prospicit; atque ita Dei voluntatem facientes non propter iram solum sed propter conscientiam, haereditatem filiorum Dei, pacem ac perfectam tranquillitatem consequemini. *Omnes denique odientes malum*, *adhaerentes*

bono, *charitate fraternitatis invicem diligamus*, *honore invicem praevenientes*, *sollicitudine non pigri*, *spiritu ferventes*, *spe gaudentes*, *in tribulatione patientes*, *orationi instantes*, *necessitatibus Sanctorum communicantes*: atque haec sanctissima Charitas patiens, benigna, suavis, et singulos cives, et familias, et pagos et civitates in concordia plena omnisque generis felicitate firmabit.

Ut autem haec vota impleantur, accedamus, dilectissimi, cum fiducia accedamus ad thronum gratiae, ad ipsum Charitatis fontem uberrimum, ad sacratissimum Cor Domini Redemptoris Nostri Christi Jesu. Quanto amore erga homines cor istud ardeat, *in hoc cognovimus quoniam ipse pro nobis animam suam posuit - et cum adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est*. Igitur verendum non est ne accedentes ad illud cum fiducia, non aquas verae charitatis in gaudio hauriamus. Si enim *ignem venit mittere in terram*, *neque aliud vult nisi ut accendatur*, et si tam amanter invitat omnes qui laborant, et onerati sunt ut ad eum accedant, et requiem inveniant animabus suis, culpa erit nostra, quod non accesserimus, si vera charitate non accendamur, non inflammemur.

Beatissima Virgo Maria, quam in Coelos assumptam praecipuam Patronam veneramur, quaeque Mater est pulchrae dilectionis, haec vôta clementer suscipiat, ante divinum deferat thronum, eorumque complementum a Patre et Filio et Spiritu Sancto benignissima imploret: et Sanctus Bernardinus, seraphicae Sancti Francisci charitatis aemulator eximius, cujus in tutela est Carpensis Ecclesia, ceterique Coelites, quos Advocatos colimus, nobis adsint propitii, suaque nos potenti Protectione in charitate confirment.

Haec sunt, Venerabiles Fratres et Filii in Christo carissimi, quae hac ipsa die Consecrationis meae vobis declarare volui, animi mei sensa. Modo obsecrabo et obtestabor vos omnes ut sine intermissione oretis et pro SS. Domino Nostro Gregorio Papa XVI. quem suum in Terris Vicarium, supremum cunctorum Fidelium Pastorem, Patrem ac Doctorem Christus Jesus constituit, ut illum Ecclesiae suae bono, Religionisque incremento quam diutissime servet incolumem, fortunetque; et pro religiosissimo ac gloriosissimo Duce Nostro Francisco IV. ut Eum Deus, una cum Augusta Conjuge, Regia Sobole, et universa Familia ipsius uberioribus semper gratiis, ac plenioribus cumulet benedictionibus; et pro me tandem, ut ita meis muneribus satisfaciam, ut una cum grege mihi credito ad vitam perveniam sempiternam.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, Charitas Dei, et Communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.

Datum Romae extra Portam Flaminiam XIV. Kal. Febr.
An. MDCCCXL. ipsa Consecrationis die.